



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Parnassus Catholicus Sive Succincta Quorundam inter Religiones modernas discrepantium Dogmatum Poëtica enodatio**

**Mertz, Johann Wilhelm**

**Viennae Austriae, 1679**

9. De Iejuniis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9862**

*Obiectio.* In Cruce, sed dices, mundam fortassè fuisse,  
 Ac mundam in cœlis, semper & esse jugem.  
*Responsio.* Sed perpende parum; fuit illa; sed esse Prophetæ,  
 Et duraturam semper in orbe, canunt.  
 In cœlo jugis est, sed noster in orbe Propheta  
 Atque inter gentes, hanc fore & esse canit.  
 Deindè inferretur, si Christus ritè Sacerdos  
 Ordine Melchisedech, nunc super astra foret,  
 Quod simili ritu Panem Vinumque litaret,  
 Ordine prædicto nunc super astra quoque.  
 Ast hoc quis dicat, fingatque aut somniet unquam?  
 Sola ergò Christi victima, Missa manet,  
 Rectè ergò à nobis, pro nobis ille litatur,  
 Qui se pro nobis semper & ipse litat.

## QUÆSTIO NONA. DE JEJUNIIS.

*Sententia Ac-  
cathol. con-  
tra Jejunium.* **O**Rdine posthæc succedent Jejunia, Vota.  
 Quid sint, quid profint, quisvè ea constituit?  
 Ecquid enim profunt jejunia? votaque nostra?  
 Quis DEUS, aut Dæmon jussit & instituit?  
*Ephes. 5.* Ut Corpus foveas, habeasque in honore juberis,  
 Non ut discruties, Emaceresque datum est.  
*Matth. 6.* Nunquid & Hypocritæ jejunant, & Pharisæi?  
*Luc. 18.* Quid prodest ipsis se macerare cibus?  
*Rom. 3.* An forsan carnem macerando mereberis astra?  
 Falleris: vna fides atque ea sola beat.  
*Esai. 58.* Optima Christigenûm jejunia, sobria vita est,  
 Vitaque flagitiis, non inimica cibus.

Quos

Quos DEUS Omnigenos hominum produxit ad usus,

Cur prohibet, stomacho semper hiante meo ?

Quomodò qui corpus dat, vult maceremus ut ipsum,

An non est Sathanæ dogma, vetare cibos ?

NON rectè saturi ventres jejunia culpant,

Sobria turba Diis, Ebria nulla placet.

Quid Gula & Ebrietas noceant, jejunia profint,

Cur opus est multis quærere ? nonne pater ?

Ebrietas plures, quàm sustulit ignis & ensis.

Inviçtiq̃ue armis Ebrietate cadunt.

Nulli Christicolæ veri jejunia damnant,

Laudârunt omnes, qui placuêre DEO.

Nonne DEUS primos cùm condidit ipse Parentes,

Jejunare jubet ? mandere poma vetat ?

An quia fregerunt jejunia jussâ Parentes,

Pro solo pomo, fit miser omnis homo ?

En vetat ille cibos, hominum quos fecit ad usum,

Cur tu doctrinam Dæmonis esse crepas ?

Si prohibere cibos scelus est, & Dæmonis astus,

Cur vetuit primus conditor ipse DEUS ?

An non econtrâ, quos conditor ipse vetabat,

Dæmon suadebat, morte sequente, cibos ?

An non quæ Sathanæ tribuis jejunia, passim

Ipsè probat Christus, suadet & ipse DEUS ?

An non orare, an non jejunare frequenter

Admonet, inculcat, consulit, imò jubet ?

Rursùm : si à Sathanâ (ut dicis) jejunia manant

Quomodò, dic, illis pellicur ipse Sathan ?

Nam sic Christus ait, quòd per jejunia Dæmon

Pellatur, dic nunc, quomodò is author erit ?

1. Tim. 4.  
Pre Jejunio.

Gen. 3.

Zach. 8.  
Matth. 5. 17  
Luc. 5.  
2. Cor. 6.  
Act. 13.

Matth. 7.  
Marc. 9.

Si

- Si nihil in cœlis jejunia sacra merentur,  
 Quomodo dic Christus, quòd mereantur, ait?  
*Matth. 6.* Tu cùm jejunas, inquit, caput unge, Paterque,  
 Qui videt in cœlis, præmia digna dabit.  
 Ergò cibus bonus est omnis, malus est tamen idem,  
 Si contra Domini jussa gulosus edas.  
*Matth. 4.* Sic jejunavit Christus, cunctique Prophetæ,  
*Psal. 34. 65.* Quin gentes etiam, Thalmucidi que viri.  
*108.* Sacra fames mentem pascit, Cacodæmona pellit,  
*Matth. 17.* Liberat à morbis, liberat à vitijs.  
 Corpora quæ dapibus turgent, jejunia curant,  
 Sancta que sobrietas sobria corda facit.  
 Quam nullus Medicus curat, nullus que Galenus,  
 Sacra fames Podagram curat, & Hydropicam.  
 Quis modò præpinguis culpet jejunia venter?  
 Quis non collaudet, suadeat atque probet?  
 Quis non cùm Christo, cunctis que libenter, & ultro  
 Jejunet sanctis vatibus, atque viris?  
 Si Christum jussisse negas, Ecclesia Christi,  
*Matth. 18.* Hanc audire jubet, jussit & id satis est.  
 Omne quod est frugi, si non fit ritè, jubetur,  
 Fœlix mandatum, quod meliora jubet.  
*Matt. 6. 16.* Cura animæ, nulla est perituro corpori habenda,  
*Marc. 6.* Nec facilè ascendunt corpora obesa polum.  
*Rom. 8. 13.* Et quisquis carnem sequitur, nec deprimit illam  
*1. Cor. 5.* Jejunans, post cùm Carne peribit item.  
*2. Cor. 10.* Rectè igitur suadent Jejunia sacra, jubent que,  
*Gal. 1. 3. 5.* *Coloss. 2.* Exemplo Christi, Dogmata Pontificum.



QUÆ-